



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

CXXXVII. Schiedsrichterliche Entscheidung der Uneinigkeiten, welche
zwischen den Markgrafen von Brandenburg einerseits und dem Nicolaus
von Werle so wie dem Grafen Günzel von Schwerin andererseits ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

omnibus et ad omnia promouentes, que ipsis nouerimus esse commoda siue grata. In cuius rei testimonium presentem nostram literam in testimonium validum duximus conferendam, sigilli nostri munimine roboratam, adhibitis testibus idoneis, quorum nomina pro firmitate majori duximus exhibenda Zistlaw, Domezlaw, Dalez, Pozewale, Mizlebor, Peter, Nicolaus Koyt. Datum Arnswolde, anno domini M^o. CC^o. LXIX^o., feria secunda post octauas pasce.

Nach dem Copiaro des K. Geh. Kab. Archives I. C. 4 in quarto fol. 40. Diese Urkunde ist in Gercken's Cod. dipl. Br. I, 208 und in Dreger's Cod. dipl. Pom. I, 546 mit sinnentstellenden Fehlern abgedruckt. Dreger hat statt centum marcas, teneur marcas und statt pueris gelesen patuis, Gercken unionis ausgelassen und statt referuabunt gelesen referuabit, was einen dem richtigen grade entgegengesetzten Sinn giebt.

CXXXVII. Schiedsrichterliche Entscheidung der Uneinigkeiten, welche zwischen den Markgrafen von Brandenburg einerseits und dem Nicolaus von Werle so wie dem Grafen Günzel von Schwerein andererseits und zwischen ihren beiderseitigen Helfern stattgefunden haben, vom 9. Juni 1269.

In nomine domini Amen. Nos Conradus, dei gracia sancte Magdeburgensis ecclesie archiepiscopus, Henricus, Misnensis et orientalis marchio, et Sifridus, comes Ascharie, arbitratore siue arbitri in causis, que uertuntur inter illustrem principem marchionem Ottonem Brandinburgensem et suos homines ex una parte, et dominum Nicolaum de Werlle et comitem Guncellinum Zuerinensem et eorum coadiutores ex altera, auctoritate arbitraria nobis concessa ad amputandum omnis dissensionis materiam inter ipsos exortam, statuimus, ordinamus et diffinimus, omnia dampna domino Ottoni marchioni et suis hominibus per dominum Nicolaum de Werlle, comitem Guncellinum de Zverin et eorum coadiutores illata infra tempus treugarum esse soluenda et pecuniam per exactionem, que gedinge wlgariter nuncupatur, extortam infra predictas treugas, esse restituendam iniuria[m] p[ar]t[is] illis, prestito prius sacramento ab hiis, qui eadem dampna fecerunt, quod grauius dampnum non fecerint, quam fatentur, quod etiam seruandum est ex parte altera uice uersa. Preterea castra Dannenberg scilicet et Graboye et . . . Domeliz*) sunt presentanda venerabili domino archiepiscopo Magdeburgensi, ut ea teneat pro comite Henrico et suis fratribus et filiis quondam comitis Adolphi bone memorie de Dannenberch, donec ab eisdem patruelibus hinc inde caueatur suff[icien]ter, quod neuter eorum aliquid in preiudicium attemptet alterius uel grauamen, et quamdiu dicto domino archiepiscopo et amicis predictorum comitum visum fuerit expedire. Tractatum est etiam, quod comes Guncellinus municionem factam in Buzeneborch debet destruere penitus, nec reedificabitur per ipsum decetero nec per dominum Johannem et fratres suos nec per dominum Ottonem et fratrem suum, marchiones Brandinburgenses, et si aliquis

*) Nach Rubsloff (Cod. dipl. histor. Megalop I, 27), wo ein Theil der obigen Urkunde egerpiert ist, lautet diese Stelle: castra Danneberg, Grabow et Dobelitz.

predictorum vel alter quicumque eandem munitionem reedificare voluerit, reliqui bona fide et absque dolo prohibebunt pro suis viribus et defendent. De dampnis quoque illatis Ottoni marchioni et suis hominibus per dominum Nicolaum de Werlle, comitem Guncellinum predictos et eorum fautores extra tempus treugarum dicimus, quod debent satisfacere dampnum passis, sed si iuramentum prestare voluerint, quod nichil eorum fecerint contra dominum marchionem Ottonem et suos homines, de quibus sibi uel suis satisfieri debeat vel propter quod gratiam dicti domini marchionis demeruerint, ab impetitione ipsius et suorum iuramento prestito sunt soluti. Item de noua ciuitate Parchem, quam marchio Otto Brandinburgensis ad se asserit pertinere, dicimus, quod comite Guncellino, qui dictam ciuitatem tenet in feodo a dominis marchionibus, sicut dicit, stabit pro iure suo eo modo, quo sui conuafalli uti in causis similibus consueuerunt. Item quicquid est questionis inter comitem Guncellinum de Zverin et comitem H. de Dannenberc et fratres suos, coram domino Johanne et domino Ottone patrueli suo marchionibus Brandinburgensibus est decidendum, coram quibus alter alteri tenebitur respondere de obiectis et obiciendis iusticia mediante. Dicimus insuper, dominum marchionem Brandinburgensem debere conferre domino Guncellino comiti de Zverin bona sua. Ad hanc causam, que uertitur inter dominum Hauelbergensem episcopum et predictum Nicolaum de Werlle committimus domino Sifrido comiti Ascharie et domino Borchardo de Barbeie amicabiliter, si potest fieri, uel secundum iusticiam terminandam, et si dissenserint in aliquo, illam dissensionem Marchio Johannes et Otto, patruelis suus, descident, prout equum fuerit siue iustum, quorum diffinitioni stabitur super eo. Item inter predictum dominum Hauelbergensem episcopum et dominum Brandinburgenses taliter est tractatum, quod de omnibus, que inter ipsos uertuntur, si potest fieri, amicabiliter componetur; alioquin dicti marchiones coram nobis Conrado Magdeburgensi archiepiscopo prefato episcopo respondere duxerit componenda. Dicimus etiam, dominum Nicolaum de Werlle filium Barnim domini Stetinensis debere restituere, si ipsum pater duxerit requiringendum. Item de illa de Repentin, quam dominus Nicolaus de Werlle [pro] se recepit, ne contra voluntatem suam nuptui traderetur: dicimus, quod debet ab eadem proscriptioe absolui, cui bona ablata debent restitui uniuersa, dicta quoque domicella matri sue restituatur, nec tradatur nup[tui] orum amicorum suorum consilio et consensu. Item de villa Radim, in cuius possessione dominus Genseko fuit et de qua eiectus est per comitem Guncellinum de Zverin, dicimus, eundem dominum Gensekinum esse ante omnia restituendum, et si eadem villa a duce Saxonie, a quo dictus Genseko eam tenet in feodo, euicta fuerit, sepedictus Genseko cadet a dominio dicte uille et monebit dictum ducem Saxonie pro restauo. Item dicimus, quod homines Wasmudi de Knifbec, quos comes Guncellinus de Zverin captiuauit, dimittendi sunt absoluti, pecunia quoque, quam extorsit ab eis, promissa uel iam soluta, restituenda uel relaxanda est eisdem; tamen si dictus dominus Guncellinus comes Zverinensis iuramentum prestare uoluerit, quod in predictis nichil talium fecerit, quod de iure debeat emendare, ab impetitione huiusmodi absoluetur. Item si qua causa inter marchionem Johannem et fratres suos Brandinburgenses

ex parte vna et dominum Barnim ex parte altera vertitur, nos Conradus Magdeburgensis ecclesie archiepiscopus cum marchione Ottone Brandinburgense amicabiliter descendimus, alioquin nos cum domino Heinrico marchione Misnense eandem causam loco et tempore super hec assignandis terminabimus, prout dictauerit iuris ordo, quicquid autem inter eos per nos diffinitum fuerit, est seruandum. Insuper statuimus, quod vnus quisque in terra sua gaudeat suis iuribus antiquitus obseruatis, nisi alio iure uti debeat forsitan ex aliqua gratia speciali. Vt autem supradicta omnia et singula inuolabiter obseruentur ab utraque parte, de bona voluntate et consensu, nos illorum, qui contra predicta venerint aliquid immutando, manifesti erimus inimici et ex nomine contra illos, qui Boyzinburch reedificare presumpserint, manu armata vnanimiter procedemus. Nos quoque dei gratia marchio Johannes et fratres nostri et Otto marchio et frater noster de Brandinburch eis, qui violatores in aliquo premissorum fuerint, similiter erimus inimici. Nos etiam [N.] de Werle, Guncellinus comes Zverinensis et Heinricus de Megelenburch ad obseruanciam premisorum (sic) omnium recognoscimus nos ligatos et promittimus, nos hec omnia seruatu-ros, fide interposita corporali. In cuius rei testimonium nostra sigilla cum sigillis arbitrorum premissorum et cum sigillis dominorum marchionum Brandinburgensium presenti littera (sic) duximus apponenda. Datum et actum Megdeburch, anno domini M^o. CC^o. LXIX^o., quinto ydus Junii, presentibus pluribus fide dignis.

Nach einer vom Archivar Lisch mitgetheilten Abschrift des Originals im Gross. Geh. und Haupt-Archive zu Schwerin. Es sind darin von Mäusen 3 Löcher eingesseßen, wodurch die Lücken im Texte entstanden sind, welche durch Conjectur in [] theilweise ausgefüllt worden.

CXXXVIII. Schreiben der verwittweten Markgräfin Beatrix von Brandenburg an ihren Bruder König Ottokar II. von Böhmen, womit sie dem Könige Briefe von ihren Söhnen übersendet.

Si cuncta prospera et jocunda circa salutem vestri corporis et successus alios geruntur, gaudemus, teste cognitore omnium secretorum, non minus quam de propria sospitate. Nos etiam per misericordiam provisoris omnium, et soror nostra, carissima vestra conjunx, filia quoque vestra et noster parvulus, sani sumus, optantes et orantes dominum vobis concedi prosperitatem et pacem, diu vivere et denique in aeternum. Igitur quia post Deum nostri vos estis spes unica, sub vestrae dominationis tutamine stare jam et cadere nos oportet; propter quod vobiscum omnia, sine vobis nihil umquam faciemus. Significantes Vestrae Dilectioni, quod filii nostri miserunt nobis unam literam, quam et nos, sicut missa nobis est, inperlectam vobis transmisimus. Et quia et vobis una ex parte eorundem mittitur, respondere dignemini petimus per vestram literam sub tenore eodem, imo et sub sigillo, tam pro vobis, quam pro nobis, sicut Vestrae tunc Dilectioni videbitur expedire, ut in hoc evidentius cognoscatur, quod quibus una fides est, cognoscatur concors etiam et (sic) voluntas.

Nach Palacky in den Abh. der Böhm. Gesellsch. der Wissenschaften V, II, 266. Nr. 4.